







DE  
ARTE OBLIVISCENDI  
PRAEFATVS

ORATIONEM PVBLICE  
HABENDAM

INDICIT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,  
Litteris MATTHAEANIS.

XLIX.

© G. G. Bidermann 1788

Freiberg, bey der Buchhandlung

von G. G. Bidermann

1788

1788

**T**Hemistoclem, Atheniensium ducem, multis rebus praeclare gestis celeberrimum, PLUTARCHVS refert, a) scholam philosophi praeteruentem rogasse, quid in ea doceretur? et quum responsum tulisset: ARS MEMORIAE: dixisse eum: *at ego malle[m] discere ARTEM OBLIVISCENDI: nam multa memini, quae nolo, contra vero oblivisci multa non possum, quae volo.* Bene vero ac sapienter eum sensisse, negari non potest, quantumvis paradoxa eius sententia prima fronte videatur. Vt autem constet, quid obliuionis nomine veniat, aduersae illi memoriae natura et conditio recte considerari debet. Haec enim est beneficium praecipuum, humano generi diuinitus concessum, quod in mentis facultate consistit, imagines impressas feliciter conseruandi, vel iam oblitteratas mirifice resuscitandi: quo, ut CICERO ait, b) *nec in Deo quicquam maius intelligi potest.* Obliuio autem uti nos iis omnibus spoliat, quae multa cura multaque industria antea collegeramus; ita tantum abest, ut vel excusationem vel commendationem mereri videatur, ut potius à plerisque inter hostes omnis cognitionis, inter defectus uitae nostrae, inter naenos fortis humanae, vel, si mitius loqui velimus, inter mala necessaria referatur. At salua res est, et salua obliuionis causa, quam hoc loco suscipimus defendendam: dummodo inter obliuionem naturalem et voluntariam distinguamus. Et voluntariam quidem, quae alias etiam conuentionalis adpellatur, eam vocant, ubi rerum, quarum per naturam non obliuiscimur, in vindictam atque ultionem non recordamur. Quae igitur obliuio sit defendenda, probanda et commendanda, facile adparet. Egregie CICERO noster in eo libro, quem de animi aegritudine lenienda ad M. Brutum scripsit, c) hoc argumentum persequitur, ubi inter alia aduersus Epicurum et Cyrenaicae sectae additos his verbis disputat: *Non est in nostra potestate, fodicantibus iis rebus, quas malas esse, opinamur, dissimulatio vel obliuio. Lacerant, vexant, stimulos admouent, ignes adhibent, et respirare non sinunt. Et tu obliuisci iubes, quod contra naturam est?* Tandem, ubi omnis generis mala cum bonis et variis virtutibus comparauerat, obliuioni non solum locum relinquit, sed eam etiam omnino probat et commendat. En! eius verba: d) *ad haec bona si me reuocas, Epicure, pareo, sequor, utor te ipso duce, et obliuiscor malorum eo facilius, quod ea ne in malis quidem ponenda censeo.*

Quoniam autem experientia quotidiana docet, mentem nostram, congenita prauitate laborantem, multo esse promptiorem ad mala auide arripienda tenaciterque seruanda, quam ad ea dimittenda, proscribenda, et obliuione conterenda; quis non intelligit, oertam et laude omnino dignam artem etiam in obliuifendo versari? Et haec obliuio tanto maioris est facienda, quanto plus emolumentum

a) in vit. Themistocl.  
Cap. XVI. §. 35.

b) Quaest. Tuscul. I. 27.  
d) l. c. §. 37.

c) Quaest. Tuscul. L. III.



lumentem ex ea in vitam nostram redundare, sentimus. Qua de causa Numini diuini dignitatem illi homines profani tribuebant. Ex multis testimonium EVRIDIS audiamus, his verbis obliuionem compellantis: e)

ὦ πορνία Διὶ τῶν κακῶν, ὡς εἰ σφῆς;  
καὶ τοῖσι δυσχερῶν ἐνκαίτωρα θεός.

h. e. *ô diua obliuio malorum, quam sapis! ô dea calamitosis exoptabilis!* Quid? quod singularem aram Oblioni, veluti Numini diuino, antiquitus positam fuisse, PLVTARCHVS adfirmet. Vbi enim de Neptuno et sacris eius in honorem faciendis exponit, haec addit: *hic Neptunus à Minerua, Apolline, Iunone et Libero Patre saepenumero victus, ubique aequo animo suum infortunium tulit: commune autem cum Minerua habuit templum, in quo etiam ARA OBLIVIONI fuit dedicata. f)*

Haec cum certa sunt et extra omnem dubitationem posita, tum luculentis summorum virorum suffragiis corroborantur, qui vel suo exemplo hanc obliuiscendi artem docuerunt, vel commendando probauerunt. Ex philosophis vetustissimis PYTHAGORAS inter alia symbola, quibus morum doctrinam conuestiebat, hoc praeceptum discipulis suis sedulo inculcabat: *χρησας ἴχθυσ σὺν γαλακτὶ κρητῶν, h. e. ollae vestigium in cinere est confundendum, g)* Cuius variis explicationibus, quas PAVLLVS PATER, Professor quondam Gymnasii Dantiscani, in singulari libro collegit, h) ea anteferenda videtur, quae iniuriarum nobis illatarum obliuionem commendat. Ex historia autem profana quamuis copiosa exempla eorum adferri possint, qui in arte obliuiscendi excelluerunt; inter Graecos tamen THRASYBVLVS, et inter Romanos CICERO eminent ante alios, quorum uterque rebus praeclare gestis immortalem nominis famam est consequutus. Hi igitur, quid obliuiscendi arte praesliterint atque effecerint, paucis iam consideremus.

In Graecia Athenienses ac Lacedaemonii, populi potentissimi, Solonis institutis et Lycurgi legibus pares, ex virium aemulatione in grauissima bella ruerant. Post multas turbas Thrasybulo contigit, ut patriam, dissidiis distractam, ex miserima et deploranda seruitute in libertatem vindicaret. Quod qua ratione praesliterit, quum noster CORNELIVS NEPOS prolixè exponat, i) nos hoc loco nihil, praeterquam medium illud adferemus, quo usus est vir ille prudentissimus ad tranquillitatem reip. restaurandam. *Praeclarum, ita refert Nepos, k) hoc quoque factum est Thrasybuli, quod, reconciliata pace, quum plurimum in ciuitate posset, legem tulit, ne quis antea factarum rerum accusaretur, neue mularetur:*  
eamque

e) vid Plutarch. Moral, p. 145.

f) in Sympof. L. IX.

g) Iamblich. XXI.

h) in Arcan. Moral, p. 420. sq.

i) in Thrasybul, c. II. III.

k) c. III. §. 2.



eamque illi LEGEM OBLIVIONIS adpellarunt. Hoc plebiscitum Graeco nomine AMNĒSTIAN dictum fuisse, PLVTARCHVS, l) APPIANVS, m) VOPISCVS, n) VALERIVS MAXIMVS, o) et alii adfirmant. Idem vero nomen HERODIANVS p) explicat per το μηδεμιαν εναι των πεπερωμενων μνημη, h. e. quod nulla superesse debeat memoria rerum superiorum: quibus CICERONIS interpretatio fere respondet, q) quod omnis memoria discordiarum obliuione semipiterna sit delenda. Huius amnestiae formulam DIONYSIVS HALICARNASSENSIS his verbis conceptam ad posteritatem transmittit: r) ἀφαιδα πιασα ενγκληματος ιδις τε και κοινε προφασις, και μηδενοσ εντι μνημη των παρεληλυθοτων ενω, h. e. remittitor omnis opinio accusationis tam propriae quam communis, et nulla amplius sit recordatio malorum praeteritorum. Ex quibus intelligimus, cur Thraſybulus apud Nepotem lege obliuionis cauerit, ne quis anteactarum rerum accusaretur, neue multaretur. Eadem nempe lex, teste DIONE s) vetabat το μη ενκαλεσειν, quemquam in ius vocari, iteinque obligabat, μη πολυπραγμανησειν τα γεγενημενα ητε τιμωρησεθαι, eos neque in anteacta inquisturos, neque ea vindicaturos, t) ANDOCIDE autem interprete u) εναι τα γεγενημενα, missa facere, quae euenerant, iuebat. Vti vero lex illa obliuionis ad commune emolumentum et publicum usum valebat: ita etiam publice ferebatur, sollempniter promulgabatur, et iurato confirmabatur. Et quidem omnes ac singuli ciues, qui in gratiam redierant, una voce exclamantes ita iurabant: w) ε μηστιακησα των πολιταν εδεν, πλην των τριακοντα και των ενδεκα, εδε τωντων, εσ αν εθελου ενδυνας διδουαι της αρχης, ησ ηρξεν, h. e. nullius ciuis errata reminiscar, exceptis triginta et undecim virorum: sed tamen et horum obliuiscar, si voluerint administratae tyrannidis iudicium subire et rationem reddere. Quo facto, uniuersus fenatus hoc iusiurandum praestabat: ε δεξομαι ειδειξιν εδε απαγωγην ενεκα των προτεραν γεγενημενων; h. e. nullam admittam delationem aut accusationem de iis, quae anteacta sunt. Tandem etiam iudices hanc obliuionis legem suo iuramento obsignabant, his verbis usi: αιθο επειτομεθα, ψηφισμεθα δε κατα τας καμενας νομωσ, h. e. aliter nobis persuaderi non patiemur, sed iudicabimus secundum latas leger. Reuera autem illam obliuionis legem cum exoptatissimo fructu et salute publica coniunctam fuisse, rerum gestarum scriptores aperte testantur. Sic DIO: x) quum ad hunc modum Athenienses respiciissent, non modo discordiis et tyrannide sunt liberati, sed etiam ceteris rebus prosperis usi. Sic IVSTINVS: y) ita per multa membra dissipata ciuitas in unum tandem

l) de gerend. republ.

m) Bell. ciuili L II.

n) in Aurelian. XXXIX.

o) L. IV. 15.

p) L. VIII. 8.

q) in orat. Phil. I. 1.

r) L. III.

s) Hist. L. XLIII.

t) l. c.

u) Orat. de Myfter. p. 212.

w) Andocid. l. c.

x) l. c.

y) L. V. 10.



tandem corpus redigebatur. Sic VALERIUS MAXIMVS: z) obliuio illa, quam Athenienses ἀμνησκει vocant, concussum et labantem ciuitatis statum in pristinum habitum reuocauit. Quantam igitur utilitatem quantamque gloriam ex obliuiscendi arte perceperint Graeci, hoc exemplo vidimus.

A Graecis vero si ad Romanos progredimur, hos, quemadmodum aliis in rebus praeclare gerendis, ita etiam in arte obliuiscendi imitatos eos esse, intelligimus. Interfecto enim C. Caesare, M. Antonius, qui eius collega in consulatu fuerat, fax et turbo illius saeculi, simulatione ad tempus adcommodata, consilia tranquillitati profus inimica capiebat. Quod quum viri consulares sentirent, de reuocanda communi concordia et stabilienda amicitia omni agere contentione coeperunt. Et Cicero quidem, pater ille patriae, ut fundamenta tam salutaris negotii firma iaceret, in aedem Telluris conuocato senatu, omnem dissidiorum pristinorum memoriam veteri Atheniensium exemplo, extinguendam publica oratione suadebat. Audiamus ipsum super hoc argumento ita disputantem: a) *Quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Atheniensiumque reuocaui vetus exemplum, et Graecum verbum usurpauit, quod tum in sedandis dissidiis usurpauerat ciuitas illa, atque omnem memoriam dissidiorum obliuione sempiterna delendam censui.* Quam sapienti autem consilio haec obliuio fuerat decreta, tam fragilem et minus diuturnam eam fuisse, euentus docuit. Quoniam enim Caesar iniquissimo modo erat interfectus, ipsum facinus nullo iure excusari poterat. Et hac mente ipse CICERO, de hac caede sententiam suam pronuntiat: *Caesaris mors, inquit, b) facillime defenditur silentio et obliuione.* Accedebat, quod Antonius testamento Caesaris nefarie deprauato, ad nouas seditiones abutens, femina turbarum spargeret, atque ita irreligiose salutare hoc decretum violaret. Has et plures rescissae illius pacis causas I. H. BOECLERVS, c) vir rerum civilium scientissimus, collegit, et ad sublatam amnesia adcurate applicauit. Felicioribus autem auspiciis ars obliuionis et lex amnesiae ad initia imperii Claudiani adhibebatur. Quum enim C. Caligula interfectus esset, consules urbe praesidiis occupata, in Capitolio senatum conuocabant, in quo de mutando reip. statu et reducendo imperio populari deliberabatur. Iam ubi sententiae diu discrepabant, interea Claudius, militum beneuolentia adiutus, ad imperium perueniebat. Et quia consules militum multitudini resistere non audebant, ipsi tandem in dignitatem Claudio concedendam consentiebant. Claudius vero, ut sibi suique imperii tranquillitati consulere, relictis omnibus, de sancienda obliuionis lege prudenter cogitabat; quod factum SVETONIVS his verbis describit:

z) L. IV. l. 4.

c) Dissert. Acad. p. 622. sqq.

a) Orat. Philipp. I. 1.

b) Orat. Phil. XIII. 18.



scribit: d) imperio stabilito, nihil antiquius duxit, quam id biduum, quo de mu-  
tando reip. statu haesitatum erat, memoriae eximere. Omnibus itaque factorum  
dictorumque in eo veniam et obliuionem in perpetuum et sanxit et praesitit.

Hac arte obliuiscendi multi etiam alii iique summi viri excelluerunt, eaque  
oportune usi, maximam gloriam sibi compararunt. Hoc consilio PHOCION,  
Atheniensis, allato iam cicutae poculo, interrogatus, num quid haberet ante obi-  
tum filio suo mandandum? accersitum his verbis compellabat: *Te hortor, fili,  
ne Atheniensibus memorem te iniuriarum praebes, quibus me adfecerunt.* e)  
Et hac mente EVMENES Olympiadi, Alexandri M. matri, consilium eius expe-  
tenti, utrum Macedoniam repeteret, an in Epiro maneret? sapienter suadebat:  
si cupiditate in Macedoniam raperetur, *omnium iniuriarum obliuisceretur.* f) Quis  
maior fuit IULIO CAESARE in rebus tam fortiter audendis quam feliciter geren-  
dis? quis vero eo etiam promptior fuit et facilius ad iniurias obliuione conteren-  
das? qua in virtute meritis laudibus praedicanda Cicero inprimis in oratione pro  
M. Marcello occupatur, his inter alia Caesarem compellans: *obliuisci nihil solet,  
nisi iniurias.* g) AVGVSTVS vero artis obliuiscendi tam fuit studiosus, ut sym-  
boli loco his verbis uteretur:

*Irreparabilem felix obliuio rerum.*

Ab exemplis si ad testimonia progredi vellemus, facile foret, virorum sapientissi-  
morum suffragiis obliuiscendi artem exornare. Sed angusti illi cancelli, quibus haec  
scriptiuncula definitur, non nisi pauca adferri patiuntur. Itaque non nisi trium  
testium sententiis hoc argumentum confirmabo. Primus esto AVGVSTINVS,  
doctor ecclesiae celeberrimus, qui de arte obliuiscendi ita sentit: h) *iniuriarum  
obliuisci, est gloriosum.* Alterum testimonium SCALIGER exhibeat his usus  
verbis: i)

*Non vult dominus temporis imperator acui  
memoresque notas odii memoresque querelas,  
nec viuere vestigia contumeliarum.*

Tertium testem poeta Germanus, ABSCHAZIVS, tam nobilitate generis quam  
felicitate ingenii praesians, agat, canens;

Zivar

d) in Claud. Cap. XI.

e) Plutarch. in Apophtegm. p. 189.

f) Corn.

Nep. in Eumen. VI.

g) Orat. pro Ligar. c. XII.

h) de Verbo

Dei, cap. XVI.

i) Epidorp. L. IV. 84.



Zwar das Gedächtnis ist ein Schatz von großen Werth:  
 Doch waer es oftermahls viel besser, nichts gedencken,  
 Als durch Erinnerung des, was uns wiederfaehrt,  
 Sich taeglich ohne Noth mit Furcht und Sorgen kraencken.

Quo plures igitur fructus ex arte obliuiscendi vita nostra repetit, eo maiori cura omnis aetatis homines, vitae tranquillitatem votis expetentes, subsidia illa diligenter circumspexerunt, quibus obliuio illa comparari posse videbatur. Et alii quidem vino eam inesse vim, statuebant, qua omnis animi aegritudo et moeror expelleretur. Propterea Graeci vinum *παισιλυπον*, et Alcaeus poeta *λαδικηδεω* adpellant, quod vocabulum Horatius noster, felicissimus Alcaei imitator, vertit: *amara curarum eluere efficax*. k) Eodem sensu Pompeio Varo vinum Massicum commendat, quod obliuionem omnium calamitatum inducat, canens: l)

*Obliuioſo laeuia Maſſico*

*Giboria exple.*

Alio vero loco idem *popula Lethaeos ducentia somnos* m) propinat. Non raro etiam vino herbam *Nepenthes* dictam admiscebant, quod ea obliuionem tristitiae adferre putabatur. n) Et hoc pharmacum Helenam *Teleinacho* quondam fecisse, HOMERVS docet: o)

*ἐνθεν ἐπινον*

*Νηπενθες τ' ἄχολον τε κακῶν ἐπιληθον ἀπαντων,*

h. e. inde *Nepenthes* bibebant, quae bilem fugat, et malorum obliuionem inducit. Quid? quod ipsi in sacris litteris ea vini efficacia his verbis probetur: p) *detur pereunti temetum, et vinum moerenti animo, ut potus egestatem suam obliuiscatur, suamque laborem iam non recordetur*. Alii per vitae rusticae culturam obliuionem facillime comparari posse, sibi persuadebant. Et haec erat sententia HORATII nostri: q)

*O rus, quando ego te adspiciam? quando te licebit*

*Ducere sollicitae iucundae obliuia vitae?*

Alio

k) Carm. IV. Od. 12.

l) Carm. II. 7.

m) Epod. XIV.

n) *Plin.* Hist. Nat. XXV, 2.

o) *Odyss.* Δ. 8.

p) *Prov. Sal.* XXXI, 6.

q) *L. II. Sat.* VI, 62.

Alio autem loco, ubi ruris delicias copiosis verbis descriperat, haec addit: r)

*Quis non malorum, quas amor curas habet,  
Haec inter obliuiscitur?*

Alii sapientiae studio et litterarum culturae addictos rectissimam viam ingressos, dicitant, ad ea obliuione sepelienda, quae animum pungunt atque excarnificant. Hac mente HORATIVS s) praesidium a litteris expectandum ita commendat:

*Musis amicus, tristitiam et metum  
Tradam proteruis in mare Creticum  
Portare ventis.*

Et hoc subsidium, si à praeceptis religionis discesseris, ad obliuionem malorum animo inducendam omnium maxime valere, nemo negabit, qui incunditatem ex litteris redundantem contempletur.

Multa restabant hoc super argumento disputanda. Sed cras ea commilito noster in oratione publica persequetur, bono cum Deo, loco horaque consuetis habenda. Est is iuuenis, ingenii laude florentissimus,

CAROL. ADOLPH. NEVBER,

*Dresdensis.*

ab optimo Patre eo consilio Freibergam ante tres annos ablegatus, ut et litterarum elegantiorum studiis animum expoliret, et in fodinis officinisque metallurgicis notitiam aeris diiudicandi et recte tractandi sibi compararet. Hic priusquam Musis nostris valedicat, sermone Latino de *fructibus ex obliuione repetendis* aget. Cui abitum et suo et commilitonum suorum nomine gratulabitur

*Beniam. Traugott Schmidt,*

*Freiberg.*

oratiuncula Germanica expositurus, quantum conferant boni mores ad gratiam fautorum conciliandam? piisque votis academiae candidatum prosequuturus.

VOS, qui bonis litteris iustum pretium statuitis, Mecaenates et Fautores, ut nouum erga nos Vestrae beneuolentiae documentum praestetis, crasque, sacris ante meridiem finitis, peroratos benigne audiatis, oro ac rogo. P. P.

*Freiberg. a. d. XI. Dec. MDCCLII.*

---

r) Epod. II. 37.

s) L. I. Od. 26.



Yb 627

(1/80)

ULB Halle  
002 103 591 3



TAJOL









Farbkarte #13

B.I.G.

49

DE  
**ARTE OBLIVISCENDI**

PRAEFATVS

---

*ORATIONEM PVBLICE*

HABENDAM

INDICIT

**M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.**

---

FREIBERGAE,

Litteris MATTHAEANIS.

**XLIX.**